







PARTITIONVM
Theologicarum

DISPUTATIO XXXIII.
De
BONIS OPERIBVS.

In inclutâ & Florentissimâ Academia Wittebergensi proposita
PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente
M. JOHANNE AGRICOLA
Neuburgensi Palatino.

Horis locoque consuetis.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.





NOBILISSIMIS, AM-
PLISSIMIS, ET CONSVLTIS-
SIMIS, MULTIPLICIQVE RERUM
usu excellentissimis viris,

Dn. GEORGIO FRÖLICHIO U J. Doctori celeberrimo,
& Illustrissimi ac serenissimi Principis, i. n. PHILIPPI
LUDOVICI Comitis Palatini Rheni &c. Cancellario
Magnifico.

Dn. WOLFFGANGO CHRISTIANO U J. Doctori exi-
mio, & Consistorii Ecclesiastici Neoburgensis incluti
directori magnifico.


Dn. CASPARO HEUCHELINO, VI. Doctore excellen-
tissimo, & Consiliario Palatino Neuburgensi pruden-
tissimi.

Domino suo cognato, D. patronis, ac promotio-
ribus omni pietate colendis.

In gratia mentis Symbolum submisit consecrat.

Respondens.

TYPVS HVIVS DISPVS TATIONIS.





DISPUTATIO XXXIII.

De
BONIS OPERIBUS.
CONTINUATIO.

Propositum melioris vite, ejusq; executionem, Novam obedientiam qua homo reconciliatus & justificatus, Spiritus sancti gratia adjutus, bonis operibus & sanctitati studet, non partem, sed fructum fidei, ideoq; pœnitentiæ esse asseruimus, defendimusq; disputatione proximè precedente. Cùm autem illa ita fidei justificantis, & consequenter pœnitentiæ fructus censenda sint, ut simul comitis individi rationem obtineant; fidemq; ac veram pœnitentiã necessariò vel comitentur vel sequantur, ordinis ratio postulare videtur, ut illorum theoria & contemplatio pœnitentiæ considerationem ac tractationem immediatè excipiat.

THE.



Theses

1. Est autem Novæ obedientiæ sive Bonorum operum theoria generalis & specialis.

2. Generalis explicat 1. illorum communem essentiam.

2. Quem ad hominem & ejus salutem respectum habeant.

3. Communis essentiæ explicationem continet definitio, e-
jusque resolutio.

4. Definitionem damus ejusmodi, *Bona opera sunt actiones tam internæ quàm externæ, quæ à regeneratis ex fide profectæ, & à Spiritu sancto effectæ, ad legis divinæ præscriptum exiguntur, & ad Dei gloriam, proximique ædificationem diriguntur.*

5. In ἀναλύσει considerandum. 1. ipsum definitum.

2. definitionis partes.

6. Definitum igitur quod attinet, in sacris literis hæc terè synonyma sunt: *Propositum cordis Deo adhaerens obedientia, bonum opus, virtus, iustitia, quam facimus, fructus digni penitentia, bona conscientia.*

7. Est nihilominus quadam inter illa distinctio. Nam *propositum cordis* est motus & inclinatio interna, externorum operum causa. Sic usurpari videtur hic terminus Act. 11. v. 23. *Barnabas veniens Antiochiam, vidit gratiam Dei, & gavisus est, & hortabatur omnes, ut τῆν ἐγὼ δέσει τῆς καρδίας προposito cordis adhaerent Domino.*

8. Deinde *obediencia* sæpius dicitur assensus fidei, & fiducia secundum verbum, quo nempe respectu etiam hæc pertinet fides, quatenus *τὸ ἀνεγχοεῖν* primi præcepti est, Act. 5. 29. *Opportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Rom. 6. v. 16. *An nescitis, cui sistitis vos servos, ad obediendum cuius servi estis.* Rom. 16. v. 19. *Vestra obedientia ad omnes pervenit.* 2. Cor. 7. v. 15. *Titus recordatur obedientiæ Corinthiorum, ut cum timore & tremore ipsum exceperint,* 1. Pet. 2. *Qui bonis operibus student, dicentur filii obedientiæ.*

9. Præterea quia fidei effecta complectitur *καλὸν ἔργον*

Bonorum
operum de-
finitio.

Definitio-
nis resolu-
tio.

Definiti
synonyma.

Propositū
cordis.

Obedien-
tia.



virtus. frequentius est: rarius *virtus* dicitur: absque dubio propterea, quod nomen hoc gloriosum fuit apud Philosophos Ethnicos, & nonnunquam summam perfectionem significat Aristoteli. Usurpatur tamen, & quidem in adhortationibus, quæ ad summum rectè nituntur, licet factum eò non pertingat, Phil. 4. v. 8. *Si que virtus, si qua laus est, hæc cogitate* 2 Pet. 1. v. 5. *Omni studio adicite fidei nostræ virtutem.*

Bonum o-
pue. 10. Est tamen & hoc magnificum nomen, καλὸν ἔργον: cum maximè καλὸν ἐν τάξει καὶ μεγέθει in ordine & magnitudine consistat, ut Aristoteles loquitur. Act. 9. v. 36. *Petrus erat operibus bonis* 1. Pet. 2. v. 12. *Coniuncti bonis operibus glorificent Deum.* 2. Cor. 9. 8. *Abundatis in omne opus bonum.* 2. Tim. 3. v. 17. Tit. 1. v. 16. 1. Timoth. 5. v. 10. & 6. v. 18. Eph. 2. v. 10.

Iustitia. 10. *Iustitiæ* nomenclatura Hespero & Lucifero splendidi- or longeque major est in his appellationibus Theologicis, quam quales Philosophorum mentes de virtutibus irradiavit. Psal. 37. v. 6. *Quasi lumen iustitiam tuam* Rom. 6. v. 18. *Liberati à peccato, mancipati estis iustitiæ* 3. Johan. 1. *Qui facit iustitiam iustus est.*

Fructus di-
gni pœni-
tentia. 12. Dicuntur porrò bona opera *fructus digni pœnitentiæ*, ut intel- ligatur, quod dignitas illorum ex sola Dei gratia, non ex me- rito hominum æstimanda sit, Matth. 3. v. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Bona con-
scientia. 13. *Bona* quoque *conscientia* metaphoricè synonymiam præ- stat. Quandoquidem non tam opus bonum est, uti hic acci- pitur, quam uniuscujusque domesticum sive internum de bo- nis operibus testimonium, quanquam conscientiam oportet purificari per fidem in sanguine Christi antequam à nobis bo- na opera fiunt, de quibus conscientia postmodum testatur, 1. Tim. 1. v. 5. *Finis mandatorum est charitas ex puro corde, conscientia bona non ficta & fide.* Item v. 19. *Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.*

14. *Dicuntur quoque sanctificatio* 1. Pet. 1. v. 25. *sancti- ficatio*

reddamini in omni conversatione. 1. Thes. 4. v. 3. *Hec est voluntas Dei, sanctificatio vestra.* ibid. v. 7. *Vocavit nos ad sanctificationem, hoc est, ad novam obedientiam seu opera sancta* 2. Cor. 7. v. 1. *Perficientes sanctificationem in timore Domini.* Hebr. 12. v. 14. *sine sanctimonia nemo videbit Deum.* Vocantur etiam *fructus iustitiae*, Phil. 1. v. 11. *Impleti fructibus iustitiae.* Jacob 3. v. 18. *Fructus iustitiae in parte seminati.* Fructus Spiritus. Gal. 5. v. 22.

15. *Definitio est causalis: itaque rectè in suas resolvitur causas: quæ vel internæ: vel externæ.*

16. *Internæ Materia & Formæ. Materia bonorum operum dici possunt res ipsæ, circa quas opera ejusmodi versantur, quasque tractat & præscribit Lex moralis,* Phil. 4. v. 8. *Fratres quæcunque sunt vera, quæcunque honesta, quæcunque iusta, quæcunque pura, quæcunque accommodata, quæcunque boni nominis, si qua virtus & si qua laus, hæc cogitate.*

17. *Forma bonorum operum est duplex: Legalis, & Evangelica. Forma Legalis, quæ essentialis est, consistit in illorum cum lege divina congruentia. Ut enim mali operis ratio formalis est a'ropia, & aberratio à lege: ita evvopia, & ovvnpuatios nos nostræ actionis ad præscriptum legis divinæ, est boni operis forma. Neque enim ullum opus verè dici potest bonum, nisi à Deo mandatum sit: neque ulla res creata jus habet instituendi aliquid, quo Deus colatur: solus Deus ut sapientissimus & potentissimus: ita omnis boni normam ac regulam in verbo suo perfectissimè proposuit. Pertinent huc dicta scripturæ. Deut. 12. v. 8. & 32. Non faciatis singuli, quod sibi rectum videtur. Quodcumque ego præcipio tibi, hoc facito. non addas quicquam, nec minuas ex eo. Deut. 4. v. 2. Prov. 30. v. 6. Mich. 6. v. 8. Indicatum est tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, utique facere iudicium, & diligere misericordiam, & humiliter ambulare coram DEO tuo: Ezechiel, 20. v. 19. Ego Dominus DEVS vester in præceptis meis ambulato.*

*Definitio-
nis resolu-
tio.*

*Materia
bonorum
operum.*

*Forma bo-
norum o-
perum le-
galis.*

18. *Unde*



Πόρισμα.

19. Unde ejusmodi colligitur *Πόρισμα*, Nulla opera verò bona esse, quæ quisq; bona intentione ipsemet excogitat, vel quæ secundum traditiones humanas fiunt, ut ut rationi humanæ videantur splendidissima, 2. Sam. 22. v. 42. Esa. 1. v. 12. c. 19. v. 13. Ezech. 20. v. 18. Matth. 15. v. 9.

Forma Evangelica.

19. *Forma Evangelica*, quæ accidentalis est, consistit in sanctificatione fidei: ut enim homo per fidem sanctificatur, & Deo sit acceptus & gratus: ita etiam omnia, quæ in homine ab ordinatione & legibus divinis pendent, sanctificantur, Deoque accepta redduntur.

Forma legalis cum Evangelica non est confundenda.

20. Duæ hæc formæ minimè confundendæ sunt, sed accuratè distinguendæ: *πρώτως* enim bona opera hîc non dicuntur bona propter formam legalem, sed propter Evangelicam. Quandoquidem ea, ad normam legis æstimata, longè adhuc absunt à perfectione illa, ut Deo placere queant: Quandoquidem ibi semper vera manet vox Jehovæ Deut. 27. v. ult. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.* Gal. 3. v. 10.

Opera reatorum non sunt perfecte iusta.

21. Non igitur opera reatorum sunt perfectè justa, nisi accedat justitia Evangelica, justificanturque fide. Non enim sola fides tantùm justificat in initio: sed etiam quando iusti bene agunt, & continuâ justificatione indigent, nunquam aliter nisi fide justificantur.

22. Si igitur id verum est, uti est longè verissimum, nempe etiam sanctissimorum opera non esse perfectè justa, nisi per fidem justificentur & ipsa? quomodo igitur cum fide conjunctim justificabunt opera?

23. Adde quòd fidelium operibus tribuatur obedientia ex toto corde, ut quando 1. Reg. 8. 28. Jehova dicitur *custodire pactum & misericordiam suam servis suis, qui ambulant coram ipso in toto corde suo.* Item quando 1. Reg. 15. v. 3. affirmatur, *Davidi fuisse cor perfectum coram Domino.* Et 2. Reg. 2. Ezechias orat, *Domine memento quando ambulaverim coram te in veritate & corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.*

24. Hæc & similia si æstimaveris ex perfectione legalis, eris miserè deceptus. Quandoquidem non est iustus in terra, qui faciat



f. *ciat bonum & non peccet. Eccl. 7 v. 27. Et pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus. Psal. 32. v. 6. Omnesq; nostrae iustitiae sunt sicut pannus menstruatus, Ela. 64. v. 6. Ac si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis, 1. Joh. 1. v. 2. Et tamen nulla est condemnatio in his, qui sunt in Christo Iesu, Rom. 8. v. 1. Perfectio igitur Evangelica, quae in Christo Iesu, respicienda est. Is enim pro nobis legem implevit, non solum obediendo, & satisfaciendo, sed etiam nobis promerendo & conferendo vires, ut in Spiritu secundum voluntatem ejus ambulemus. Et hoc igitur obtinere possumus vera fide, quippe quae non partem Christi, sed totum Christum, & cum ipso omnia apprehendit: nec etiam praeter ipsum aliud, quod in nobis quiddam respiciat. Tum enim evagatur extra promissiones, veraque fides non est, sed simulata & hypocritica.*

25. *Conclusum igitur esto: Bona opera renatorum ratione bonitatis & perfectionis legalis esse imperfectissima: ratione vero Evangelicae perfectissima. Ut autem illa suo modo a nobis est: haec vero nullo modo a nobis, sed a sola iustitiae Christi per fidem imputatione: sequetur iterum, quod nostris operibus nil gratiae divinae promereri possimus: cum id, quod ex parte tantum bonum est, non satisfaciatur Legi Dei, ac proinde non placeat Deo, quod in se habet vel minimum imperfectionis.*

26. *Placent igitur bona opera renatorum DEO, non propter propriam dignitatem in sese, vel propter dignitatem & statum hominis: sed 1. Propter personam fide reconciliatam, & iustam propter Christum. Atque hoc est, quod Formula Concordiae dicit: Placere bona opera Deo & accepta esse, propter Dominum nostrum Iesum Christum, per fidem, propterea quod persona Deo accepta est, Gen. 4 v. 4. Dominus respexit ad Abelem, & ipsius oblationem, ad Cainum vero, & eius oblationem non respexit. Et Hebr. 11. v. 8. Enochi persona Deo placuit, quare etiam opera ipsius, ac propter personam placentem fide imputantur ad iustitiam, hoc est, iusta censentur.*

27. *Deinde propter integumentum & velamen meriti, & iustitiae absolutissimae Christi fide apprehensae, cum quo in*

B lucem

Nostris operibus nihil gratiae divinae promeremur.

Renatorum opera bona quomodo placeant Deo.

1.]

2.



Lucem ac conspectum Dei producantur: illorumque maculae ac defectus teguntur.

28. Tertiò quia in conspectum Dei veniunt, 1. ut sui Spiritus in nobis effecta. 2. ut fidei nostrae testimonia. 3. ut inchoata obedientia, tanquam in filiis obedientiae.

29. Unde etiam renati dicuntur *perfecti*, Gen. 17. v. 1. item *sancti & immaculati in vita*. Psal. 119. v. 1. *iusti quoque inculpatae & irreprehensibiles*, Luc. 1. v. 6. nempe 1. *ευαγγελικως*, ut etiam in praecedentibus diximus, non νομικως κατὰ συγκρίσεως λόγον comparatè, sicut perfecti opponuntur rudibus, non απλως absolute & simpliciter. 2. Imputativè: quia persona iusta, sancta, perfecta, & inculpata reputatur coram Deo propter Christum. 3. Inchoativè, quia nova vita & sanctitas in renovatis inchoatur, quae postmodum in altera vita absolvetur & perficietur. 4. Affectivè, non effectivè: Affectivè, inquam, quia affectu quodam ad pietatem accedunt, quo eam affectant; non verò pleno pietatis effectu coram Deo, nisi per imputationem.

Causse externa.

2. Efficiens primarium remotius, Spiritus sanctus.

30. Causse externae sunt efficiens & finis. Efficiens duplex datur. Primarium remotius, & secundarium propinquius.

31.

Illud est *Spiritus sanctus*, qui in regeneratis per verbi praedicationem non tantum efficit veram poenitentiam, hoc est, agnitionem peccati & fidem: sed etiam novam obedientiam, nec solum ut velint ac possint bene agere, verum etiam ut ipsa bene agant.

32. Atque causa haec απλως est necessaria, adeo ut sine ea ne inchoari quidem possit ullum bonum opus, nedum perfici. Neque enim idonei sumus cogitare quicquam tanquam ex nobis: sed quod idonei simus, ex Deo est. 2. Cor. 3. v. 6. ut merito cum Esaia dicamus: *Omnia opera nostra operatus es nobis* cap. 26. v. 12. Et Apostolus de se inquit, 1. Cor. 15. v. 10. *Gratia Dei sum, quicquid sum*. Sic 1. Cor. 4. v. 7. *Quid habes quod non accepisti? quod enim si accepisti, quid gloriaris*. Phil. 1. v. 6. *Is, qui cepit in nobis bonum opus, perficiet ad diem Iesu Christi*, Phil. 2. v. 13. *Deus est qui facit, ut velitis, & perficiatis*. 2. Petr. 1. v. 3. *Divina vis Christi omnia nobis donavit, quae ad vitam & pietatem pertinent*.

33. Idem



33. Idem ex scriptura docuerunt orthodoxi patres. Cyprianus Epistola 2, lib. 2. *Dei est, inquam, Dei omne quod possumus.* Hieronymus Tom. 1. f. 31. de virginitate servanda ad Demetriadem: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Et tamen velle & nolle nostrum est: ipsumque, quod nostrum est, sine Dei misericordie nostrum non est.* Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 16. *Certum est, nos facere, cum facimus: sed ille facit, ut faciamus, praebeundo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: Faciam, ut in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea observetis & faciatis.* Et notatu digni sunt versus Prosperi Epig. 51.

Tales à Domino, quales formamur, amamur.

Non quales nostris extitimus meritis.

Sanctificet, doceat, plantet, viget, excolat, ornet,

Et sibi perpetuo, quod placeat, faciat.

Nam nihil est hominis, quod dignè possit amari.

Perficiat proprium nisi bonus autor opus.

34. Secundarium & propinquum efficiens est homo regeneratus. Propinquum quidem est: quia ab hominis renati voluntate, quatenus ea renovata est, immediatè fluunt bona opera. Secundarium verò: quia potentia, vel voluntas illa, non à se ipsa, & à propria virtute, sed à Spiritu sancto excitata, & ad operandum habilis reddita est: nempe qui adest, servat, & agit conversos ad bona opera. Non enim Christus nos relinquit orphanos Ioh. 14. v. 18. Sed venit ad nos effunditque Spiritum sanctum in corda invocantium. Rom. 8. v. 26. qui excitat nos motus, congruentes legi Dei, ac opitulatur imbecillitati nostrae, ut pravis affectibus repugnare, & obedientiam Deo placentem praestare possimus, juxta illud Zach. 12. v. 10. *Effundam super domum David Spiritum gratiae ac precum.*

35. Porro finis honorum operum est geminus: Prior gloria DEI: Matth. 5. v. 16. *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.*

36. Posterior; utilitas proximi: Tit. 3. v. 8. *De his volo te asseverare vel constanter docere, ut curent BONIS OPERIBUS praesse, qui credunt Deo.* Haec sunt bona & utilia hominibus. Item v. 14. I. Cor. 10. v. 24. Phil. 2. v. 4. I. Pet. 4. v. 10. I. Cor. 12. v. 7.

Ezech. 36.
v. 27.

I. Cor. 3.
v. 27.

2. Efficiens secundarium & propinquum homo regeneratus.

Finis bonorum operum.

I. Pet. 2. v.

v. 12. c. 4.

v. 11. I. Cor.

10. v. 31.

B 2 37. Ti.



Conservatio
fidei non
est finis
proprie
bonorum
operum.

37. Tilenus, ut & alii Calvinistæ inter fines bonorum operum numerant *conservationem fidei*. Verum id nos negamus. Non enim quia mala opera excutiunt fidem, & perdunt salutem: propterea bona opera conservant fidem & salutem.

38. Non enim bonis operibus tantum conceditur in suo genere, quantum malis in suo. Hæc enim integrè mala sunt, ideoque damnationem mereri possunt: Bona autem non sunt perfectè bona, ideoque non simpliciter oppositum dari natismerentur.

39. Ad id quòd bona opera sint effectus & fructus fide: Quare licet rectè dicatur, quòd retinens bonam conscientiam, retineat fidem: quia tamen bona conscientia non est, nisi fide: hæc illam conservare sine causæ & effectus perversa permutatione nequit.

40. Hactenus igitur essentialis Bonorum operum *Dei* sequitur nunc, ut videamus, quem respectum habeant ad subiectum, hoc est *hominem* ipsum, deinde ad ejus *salutem*.

41. Illa consideratio versatur in quæstione: *An bona opera homini sint necessaria, an verò libera?*

Necessitatis & Libertatis distinctio.

42. Quæ quæstio ut rectè explicetur & intelligatur, juxta admonitionem Formulæ Concordiæ, Æquivocatio vocabulorum *Necessitatis & Necessary*: itemque *Libertatis & Liberi* studiosè est observanda.

43. Ratione igitur hujus nostri instituti distinguimus inter *Necessarium*, sive necessitatem *absolutam* sive consequentis: & *necessarium* sive necessitatem *conditionatam* ex hypothesi sive consequentiæ.

44. Illa à nonnullis simplicis coactionis necessitas appellari solet, omnemque libertatem agendi tollit. Hæc ab aliis Theologis necessitas mandati, ordinis, & voluntatis divinæ vocatur, & libertatem non tollit.

45. Sic vocabula *Liberi & Libertatis* sumuntur vel in propria vel in impropria significatione.

46. Proprie accepta *libertas* opponitur servituti, sive servili coactioni, subjectioni, ac necessitati: quâ aliquis non coarctetur.

Etè, sed liberè agit ea, quæ cum lege divinâ respondent: non metu pœnæ, sed virtutis, honestatis. & præcipuè DEI amore ductus.

47. Impropric & κατὰ ψευδῆς libertas sumta, opponitur omni omninò necessitati honestati & ordinationi divinæ, ac idem est, quod vaga licentia: Quæ tamen libertas non est, sed servitus, qua non Deo, sed peccato inservitur. Ejusmodi enim liberi reverà sunt servi peccati.

48. Quibus ita præmissis concludimus, Bona opera & necessaria esse, & libera, diversâ ratione & respectu.

49. Necessaria sunt, non necessitate absolutâ, & coactionis, hoc est, necessitate meriti, aut restitutionis ad salutem: sed necessitate ordinis, mandati, & voluntatis divinæ.

50. Libera deinde sunt, non posteriore illâ libertate improprie ita dictâ, quâ quis sibi imaginatur perinde esse, sive juxta præscriptum legis divinæ vivat, sive nō, Sed libera sunt ac dicuntur priore modo, nempe quatenus ex spontaneo ac libero spiritu sive illa servili coactione à renatis fiunt. Quandoquidem spontanea est fidelium sive renatorum obedientia: quæ verò non ex carne provenit, sed ex gratia ac spiritu interioris hominis originem habet. Hinc Apostolus Rom. 7. v. 22. *Delector lege Dei, quod id interiorē hominem: video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub lege peccati, quæ est in membris meis.*

51. Et notanda hac in re est decisio & sententia Formulæ Concordiæ, quæ ita loquitur. *Per vocabula (Necessitas, & Necessarium) quando nimirum de renatis est sermo, non intelligenda est coactio, sed tantum debita illa obedientia, quàm verè credentes, quatenus renati sunt, non ex coactione, aut compulsa legis: sed libero & spontaneo spiritu præstant: quandoquidem non amplius sub lege sunt, sed sub gratiâ.*

52. Libera igitur sunt bona opera, & nihilominus necessaria ob causas, quarum quædam Deum ipsum respiciunt; quædam homines,

53. Causæ nos ad bona opera impellentes respectu DEI præci.

Bona opera sunt necessaria. Sunt libera.

Quare bona opera, partim sunt libera, partim necessaria.



1. Respectu Dei. præcipue sunt: I. *Mandatum Dei expressum.* Levit. 11. v. 44. *Isa.* 1. v. 16. Joh. 15. v. 21. I. Joh. 5. v. 3. II. *Finis secundarius nostræ creationis, redemptionis, & sanctificationis.* Quandoquidem ad bonum creati, ad bonum redempti, ad bonum sanctificati sumus. Eph. 2. v. 10. Tit. 2. v. 14. I. Thess. 4. v. 7. III. *Gratitudo & obedientia erga Deum,* Malach. 1. v. 6. I. Petr. 3. v. 13. I. Joh. 3. v. 2. 3. IV. *Amplificatio gloriæ divinæ, quæ fit per bona opera* Matth. 5. v. 16. Phil. 1. v. 80. I. Petr. 4. v. 11.

2. Respectu hominum. 54. *Causæ impulsivæ bonorum operum respectu hominum sunt tales vel respectu nostri ipsorum, vel respectu proximi.* 55. *Illæ sunt:* I. *Natura fidei:* quæ non otiosa, sed negotiosa ac per dilectionem efficax est. Gal. 5. 6. II. *Necessitas cultus & obsequii nostri Christo debiti.* Rom. 6. v. 16. c. 8. v. 8. III. *Dignitas nostræ vocationis,* Eph. 4. v. 1. Phil. 1. v. 27. IV. *εὐλάβεια & pia sollicitudo,* ne amittamus Spiritum S. cum suis donis. Eph. 4. v. 30. V. *Necessitas bonæ conscientie,* quæ amittitur neglectis bonis operibus. I. Tim. 1. v. 19. VI. *Devitatio penarum,* præsertim æternæ mortis ac damnationis; quam impiis minatur scriptura. Rom. 8. v. 13. VII. *Amplissima premia,* quibus & in hac, & in futura æterna vita pietatem, & studium bonorum operum Deus coronaturus est. I. Tim. 4. v. 8.

56. *Causæ impulsivæ bonorum operum respectu proximi, sunt,* I. *Necessitas officii erga proximum,* quem sanctis inculpatæ vitæ exemplis Christo lucrificare tenemur. I. Petr. 3. v. 10. II. *Nexus humanitatis,* quo nobis invicem devincti sumus ad officia mutua. Syr. 17. v. 12. Phil. 2. v. 4. I. Petr. 4. v. 10. III. *Vitatio & declinatio scandali* Matth. 18. v. 7. I. Cor. 10. v. 32. Hebr. 10. v. 15. IV. *Confusio adversariorum* I. Petr. 3. v. 16.

An bona opera sint necessaria ad salutem. 57. *Necessaria igitur esse bona opera homini renato demonstravimus: Quæritur porrò: an igitur sint necessaria ad salutem.* 58. *Negativam asserimus: Non enim sequitur, Renatis bona opera sunt necessaria: ergò ad salutem: enumeravimus enim alias causas.*

59. *Phrases igitur illas (Bona opera sunt necessaria ad salutem, impossibile est bonis operibus salvari. Nemo unquam sine operibus est salvatus) rejicimus*



reficimus tanquam pugnantēs cum ὑποτυπώσῃ ὑγιαίνοντων λόγων.

60. Idque non sine ratione: 1. Quia pugnant cum particulis exclusivis in articulo de Justificatione hominis coram Deo. 2. Quia afflictis conscientis veram Evangelii consolationem eripiunt, & occasionem præbent dubitationi de gratia Dei. 3. Quia falsam de falsa justitia opinionem & fiduciam propriæ dignitatis confirmant. 4. Quia ex interreligionis formula prodierunt, & sic manifestos veritatis hostes habent autores. 5. Quia Lutherus respondit, phrasēs illas damnatas esse à Paulo in falsis Apostolis, qui Galatas in errorem induxerunt. Quinque que has rationes enumerat Formula Concordiæ, quibus adhuc alias duas superaddit Dn. Hutterus in suo commentario. 6. Quia phrasēs istæ cum ipso fundamento fidei pugnant, & analogiam ejus multis modis concutiunt, imò evertunt. 7. Quia merito Christi absolutæ perfectionis & plenitudinis laudem derogant. Vide Hutterum in Form. Conc. art. 4. de Bon. oper.

61. Si igitur Bona opera non sunt necessaria ad salutem. Ergò forsan sunt pernicioſa ad salutem.

62. Ad quæſtionem hanc respondet Formula Concordiæ his ipsis verbis: Si quis bona opera articulo Justificationis immiscere, iustitiam suam, aut fiduciam salutis suæ in ea reponere, gratiam Dei in se promereri, & per ea salutem consequi velit: Respondemus non quidem nos, sed D. Paulus ipse, idq; tertio repetit (Philip. 3. 7.) quòd tali homini opera sua non tantum sint inutilia, atq; ad salutem impedimento: verum etiam pernicioſa. Cuius tamen rei culpa non est bonorum operum per se, sed vana illius fiducia, quæ contra expressum Dei verbum in opera collocatur: ita quidem ut minimè liceat simpliciter & nudè asserere: Bona opera credentibus esse pernicioſa ad salutem. Bona enim opera in credentibus (quando propter veras causas fiunt, & ad veros fines, sicuti Deus ea à renatis exigit, referuntur: indicia sunt æternæ salutis. Siquidem hæc est voluntas & hoc expressum Dei mandatum, ut credentes bona opera faciant, quæ Spiritus S. in credentibus operatur, eaq; Deus Patet propter Christum accepta & grata habet, & præclara illis præmia huius & futuræ vitæ promittit.

An bona opera sint pernicioſa ad salutem.

63. Vult



63. Vult igitur Formula Concordiæ, in quæstione hac accuratè distinguendum esse, inter id, quod bonis operibus per se, & inter id, quod iisdem per accidens tribuitur. Per se nullo modo sunt perniciofa ad salutem. Quòd verò deinde dicantur noxia & perniciofa, id non ex natura operum est, sed ex perversitate subiecti, sive hominis, qui bonis operibus studet. Non igitur bona opera eiusmodi hominem damnant, sed perversa opinio & fiducia in opera, collocata illi noxia & perniciofa est. Distinguat igitur inter opera ipsa, quæ ex se ac per se semper sunt bona: & deinde inter fiducia in illam perversam, quæ in opera dirigitur: hæc ex se & per se mala & perniciofa est: & quia cum bonis operibus arctè cohæret, per accidens & illa perversa denominat.

64. Verùm statuimus, ab illa loquendi formula in Ecclesia planè abstinendum esse: cùm propositio isthæc (sunt verba Concordiæ) nudè usurpata plena sit offendiculi, omnemque disciplinam & morum honestatem labefactet, imò Epicureis mo viam sternat latissimam: Breviter: *Bona opera ad salutem perniciofa esse, dicitur perniciose.*

*Pontificii
nos calu-
mniöse bo-
norum o-
perum ho-
stes crimi-
nantur.*

65. Quam falsò igitur & calumniosè Pontificii nos, tanquam bonorum operum hostes [criminentur; tam falsò ac perniciosè ea ad salutem necessaria esse docent: Et deinde præ tumidâ superciliosæ mentis temeritate & sacrilegâ quadam arrogantia vires suas legi divinæ pares jactant, & plura ac magis ardua, quàm lex flagitat à se præstari posse, ac re ipsa à multis præstari, gloriantur.

66. Quomodo enim imperfectum & instar panni menstruati maculatum ex sese ac per sese Deo placere potest? Deinde quia nostra opera sunt tale quid, quomodo per ea legi Dei satisfiet? quomodo etiam opera illa supererogationis dabuntur?

67. Certè commentitia hæc sunt, & verbo Dei manifestè repugnantia: inprimisque in legem ipsius, quam supererogationis illa opera imperfectionis insimulant, contumeliosa: ideoque ex Ecclesia Christiana explodenda,

68. Atque

68. Atque hactenus generalis bonorum operum contemplatio fuit: sequitur nunc specialis *Deus*. Dividuntur bona opera vel ratione subiecti, vel ratione obiecti.

69. *Ratione subiecti*, nempe hominis renati, dividuntur in interna & externa.

70. *Opera interna* sunt interni motus, à Spiritu S. in reatorum cordibus excitati & accensi, quos nemo videt vel iudicat, nisi solus Deus *καρδιογνωστης* Psal. 40. v. 13. 14. Luc. 17. v. 21. Gal. 5. v. 22.

71. *Externa* sunt dicta, factaque renatorum, quæ ex illis internis profluunt, ac in oculos proximi incurrunt, Matth. 5. v. 16. 1. Tim. 5. v. 25. 1. Pet. 3. v. 1. Iac. 2. v. 18.

72. *Ratione obiecti* bona opera dividuntur in opera prioris & posterioris tabulæ: Illa immediate Deum, hæc partim proximum, partim nos ipsos spectant.

73. *Prestantissima prioris tabulæ opera* sunt, Timor DEI: Invocatio sive adoratio; & sedulus verbi auditus cum vero Sacramentorum usu junctus.

74. De verbo Dei & Sacramentis suo egimus loco: de adoratione in sequentibus tractabitur: tantum de timore Dei hic pauca annotanda sunt.

75. *Timor Dei* est vel *Servilis* vel *Filialis*. Quæ distinctio desumpta est ex dicto Apostoli ad Rom. 8. v. 15. *Non accepistis spiritum servitutis, iterum ad timorem: sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater, qui ipse testimonium perhibet Spiritui nostro, quod simus FILII DEI.*

76. *Timor servilis* est pavor, ac sensus iræ DEI sine fide, hoc est, sine fiducia misericordiæ, ad Deum accedente, & sine consolatione in summis illi inferorum doloribus corda erigente. Breviter: Est horribilis fremitus adversus Deum, Deumque fugiens. Qualis pavor fuit in Saule, Juda, & similibus.

77. *Timor filialis* est duplex: Hominis pœnitentis, & hominis iustificati, ac in gratiam DEI recepti.

78. *Timor filialis* hominis pœnitentis est pavor ac sensus iræ DEI cum fide, hoc est cum fiducia misericordiæ

Divisio bonorum operum ratione subiecti.

1. *Opera interna,*
2. *Externa.*

Divisio ratione obiecti.

Opera prioris tabulæ.

Timor Dei quatuorplex.

Timor servilis.

Timor filialis.



dia, ad Deum accedente, cumque vera consolatione, in sum-
mis doloribus contrita corda fortiter erigente. Sic David in
summis doloribus erigitur, quando inquit Psal. 42. v. 1. *Quem-*
ad modum desiderat cervus ad fontes aquarum: sic desiderat anima mea
ad te Deus meus. Atque talis est omnium sanctorum contritio in
tota hac vita.

78. Timor filialis hominis justificati & in gratiam recepti
est motus cordis, quo divini Numinis praesentiam ubiq; vere-
tur, tam occulta quam manifesta peccata summo studio devi-
tat, & quantum quidem in hac carnis imbecillitate fieri potest,
omnes actiones, totamque vitam ad DEI verbum & legem,
tanquam ad unicam normam & regulam, componit. 2. Cor. 4.
v. 2. Prov. 16. v. 6. Psal. 17. v. 4. Psal. 119. v. 101. 105.

Opera se-
cunda ta-
bulae.

80. Opera secundae tabulae vel respiciunt proximam, vel
nos ipsos.

81. Primarium opus respectu proximi est dilectio Chri-
stiana, juxta illud Apostoli Gal. 5. 14. *Omnia lex in uno sermone*
impletur, diliges proximum tuum sicut te ipsum.

82. Opus hoc primarium dicimus propterea, quod ipse
Christus dilectioni omnem legis Mosaicae mandatorum suo-
rum summam inclusit, Matth. 22. v. 39. Marc. 12. v. 31. Ioh. 13.
v. 34. item 15. v. 17. Et Apostolus legem de diligendo proximo
nominat vinculum perfectionis, Colos. 3. v. 14. finem praecipis
1. Tim. 1. v. 5. & Iacob 2. v. 8. νόμον βασιλικόν regiam legem.

Dilectio
proximi
quid.

83. Rectè porro definitur dilectio haec, quod sit suavis
motus cordis, quo renati omnes homines complectuntur, il-
lisque omnia caritatis & benevolentiae studia in quocunque
necessitatis casu offerunt, eaque non solum verbis & gestibus,
sed factis quoque ipso praestare ac declarare conantur.

84. Genus hujus definitionis, nempe quod dilectio proxi-
mi sit suavis motus cordis, desumitur ex Psal. 133. v. 1. ubi haec le-
gantur verba: *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres*
etiam

etiam simul. Est sicut unguentum optimum super caput, dependens super
barbam Aaron, quod descendit super oram vestimenti eius. Et sicut
ros Hermon, qui descendit super montes Sion, quoniam illic præcepit Ie-
bova benedictionem & vitam usque in seculum.

85. Hanc quoque dilectionem potius in facto & opere
ipso consistere, quam in verbis docet Iohannes in 1. Epist. 3.
v. 18. Filii mei non diligamus verbo, vel lingua, sed opere & veri-
tate.

86. Cæterum opera præcipua posterioris tabulæ quantum
ad nos ipsos tria numerari possunt: *Castitas, sedulitas in vocatione*
& *patientia in cruce.*

87. *Castitas* in genere est virtus retinens mundiciem animi *Castitas*
ac corporis cum voluntate Dei congruentem, & vitans omnes
libidines à Deo prohibitas. Chytr. in Reg. int. præc. 5.

88. Dicitur hæc virtus retinens mundiciem animi & corporis
quandoquidem mundicies distingui potest in internam in ani-
mo, quam Latini, specialius sumpto vocabulo *castitatem* vo-
cant: & in externam in corpore, quam *pudicitiam* in specie vo-
cant. De illa agit Petrus Epist. 1. c. 4. v. 22. *Castas reddite*
animas nostras. De hac liber sapient. 8. v. 20. *Cum bene*
educatus essem, succrevi; eis σώμα ἀμείατον ad corpus impollutum.
Videatur etiam Apostolus, 1. Corint. 7. v. 34. 1. Thess. 4. v. 4.
2. Cor. 7. v. 1.

88. Deinde additur, quod *castitas vitet omnes libidines* Ubi
notandum quod sub hoc genere quatuor potissimum species
contineantur. I. Impuræ cogitationes & prava concupi-
scentia cordis. Matth. 15. v. 19. Mat. 1. v. 14. II, Impu-
dicus oculus, qui juxta Augustinum impudici cordis est nunc
cius. Matth. 7. v. 22. item 5. v. 28. III. Gestus, oscula, & tactus
impudici. Prov. 7. v. 12. Ezech. 23. v. 3. IV. Realis pollutio
corporis quæ vicissim in plures dividi potest species. Levit
20. v. 10. Hebr. 13. v. 4. Ezech. 16. v. 50. Epist. Iud. 1. v. 7. Gat. 5.
v. 21. Apoc. 22. v. 16.

C 2

29. Spe.



Species ca-
stitatis.

1. Puritas
vite cali-
bis.

90. Species castitatis sunt, *puritatis vite calibis, & castitas con-*
iugalis.

91. Illa est mundities animi ac corporis, sine ullo semi-
nis abusu, sine commixtione & contaminatione corporum,
sine impudicis cogitationibus & sine ullis incendiis libidi-
num retentio. Qualis est puritas in angelicis naturis & æ-
tate immaturâ, & aliquibus singulari dona præditis *Chytræus*
loco all.

92. Notanda porrò sunt quæ definitioni datæ subijcitur
idem Chytræus. Cùm autem, inquit, hæc mundities cœlibis
vitæ inter homines, qui mirabili Dei consilio ita conditi sunt,
ut fecundi essent, aut nulla sit, aut certè remissa: sciamus vo-
luntatem Dei esse, ut ordinem conjugij, divinitus sancitum,
amplectamur, &c. vide ipsum Chytræum.

2. Castitas
cōiugalis.

93. *Castitas coniugalis* est ea, quæ in conjugio servat ordinem
mirando DEI consilio institutum. De hoc infra in loco de
Conjugio pluribus agemus.

Sedulitas.

94. *Sedulitas* est virtus diligenter, fideliter, ac constanter,
propter Deum & communem salutem faciens labores suæ
functionis proprios ac necessarios.

95. Inculcat hanc Apostolus Paulus I. Thess. 4, v. 11. *Op-*
eram detis, ut quieti sitis & agatis (τὸ ἴδιον) res proprias. Vide. Prov. 12.
v. 9. Syr. 10. v. 30.

Partes se-
dulitatis.

66. Virtutis hujus partes sex numerantur à Chytræo: I.
Agnitio propriæ functionis, & noticia præcipuorum, justo-
rum ac necessariorum vocationis officiorum. II. Diligen-
tia seu providentia in prospiciendo fine vocationis, in mediis
ad finem rectè ferentibus: & intentio animi ac assiduitas in
mediis illis parandis, & tuendis. III. Fidelitas, quæ est diligen-
tia in obeundo officio, & constantiam complectitur. IV. Pro-
pria vocationis officia facere, & non irrumperere *πολυπραγ-*
μοσύνη in alienam functionem. V. In propria functione
tantùm NECESSARIA facere & præsertim in majoribus
rebus nihil movere non prorsus necessarium. VI. Vigi-
lantia.

lantia quæ in laboribus vocationis obeundis debitam intentionem, & assiduitatem præstat, nec ullas rerum bene agenda-
rum occasiones negligit. Patientia
in Cruce.

97. Patientia in cruce est obedire DEO in tolerandis injuriis & omnibus rebus adversis, quæ nobis divinitus immittuntur, moderariq; dolorem, ne opprimat naturam, & ne impellat, ut aliquid contra Deum, justitiam, constantiam, modestiam, vel alias virtutes, in Decalogo contentas, faciamus.

98. Ad patientiam hanc refert Chytræus & subordinat virtutem in omni vocatione, & vitæ genere necessariam, quæ *ἡμετέρας* quæ præsentem statum & conditionem vitæ boni consulit, & moderatè fert incommoda, quæ DEUS suo cuique loco ac tempore imponit, nec temerariâ mutatione præsentis conditionis plus miseriæ sibi accersit: de qua loquitur Petrus 1. cap. 1. *Humiliamini sub potenti manu DEI.* Item Paulus 1. Cor. 10. *Non murmurate. 1. Cor. 7. Vnusquisque in vocatione, in qua vocatus est, maneat.* Verùm de cruce & calamitatibus Ecclesiæ suo agemus loco.

99. Tandem errores hoc loco vitandi sunt. 1. Libertinorum veterum qui bonorum & novorum, & malorum discrimen ex privata cujusque opinione suspendunt, neque ullum opus malum vocare sustinent, nisi quatenus is qui patravit, id malum esse judicat.

100. Deinde Manichæorum, Hermianorum, & Florianorum, qui Deum malorum operum autorem esse blasphemant.

101. Tertio, Pelagianorum, qui opera etiam ex solis liberi arbitrii viribus sine fide, & Spiritus gratia edita legi divinæ paria, & regno cælorum digna esse contendunt.

102. Quarto: Anabaptistarum, Antinomorum, & similium fanaticorum, qui omnes suos impetus fingunt motus esse Spiritus sancti, & neque legem DEI in Ecclesia doceri, neque lege Dei gubernari volunt: quoniâ bona opera inter Adiaphora recensent, & in libera hominis voluntate ponunt: renatosque etiam atrociter lapsos nec contristare, nec excutere Spiritum sanctum, & fidem fingunt.

Errores

1

2

3

4

C 3

103. Quin-



103. Quintò quorundam doctorum recentium, quorum alii hisce per se absurdis locutionibus sunt usi: *Bona opera esse necessaria ad salutem. N. minem unquam sine bonis operibus salvatum esse: impossibile esse sine bonis operibus salvari*: alii contrariam hyperbolen defendunt, *Bona opera esse pernicioſa ad salutem.*

6. 104. Sextò Pontificiorum, qui I. Bona opera ad justificationē, tanquam causam ad effectum, requirunt. 2. Legem à regenerationis perfectè impleri posse, nec non operibus quicquam deesse, docent.

7. 105. Septimò Monachorum in regno Pontificio, qui arroganter opera supererogationis sibi attribuunt, seque plura ac majora facere posse statuant, quàm quæ voce decalogi mandata sunt: & opera ceremonialia, quæ moralibus anteferunt, valere existimant ex opere operato sine bono motu cordis.

8. 106. Octavò & ultimò in genere damnamus totam illam Justitiariorum & operistarum colluviem, ut in veteri Testamento fuerunt Pharisæi: in novo Cathari, Novatiani, Meletiani, Hierarchitæ, Donatistæ, Pelagiani, Anabaptistæ, & Pontificii, qui omnes unicum mortis Christi, quo nos patri reconciliavit meritum, & hanc solius nostri Servatoris gloriam adrexis humanorum operum sive meritorum laciniis, obscurant.

F I N I S

Ad humanis. Dn. Resp. de Bonis operibus
disputando bene operantem.

Plantarat aternus sibi vineam, Pulcrè bearrant: turbine nullibi
Puro solo conseverat hanc DEVS, Quassarat illas Acolus. At fuit
Radix suas passim virescens Umbratilis felicitas. Mox
Fuderat egregieq; fiores. Lubrica fors alid intonabat.
Propallularant disposita ordine Et tartaro infernalis & impudens
Vites liquorem largiter omnibus Cadmus peragrans undiq; vineam,
Isthinc propinantas salubrem: Dentes sacrata, eheu! per arva
Ocia mollia pacis omnes Spargere non veritus draconum.
Parti

Partis nefando protulis eni tibi
 Vultu procaces, vocibus improbos
 Tellus Gigantes, dira passim
 Fundere toxica qui solent, &
 Sacra tellas carpere vineæ
 Vites volunt, & depopulare eas.
 Caum trucem, sabum Typhaæ,
 Iapetumq; putes ferocem
 Savire, vel rescindere denuo
 Cælum, Iehovam dejicere ex eo
 Velle, atque Romanū Cacarcham
 Evehere in solium Iehovæ!
 Nam quicquid ore is deblaterat suo,
 Iurata fratrum collubies piis
 Oraculis prorsus Iehovæ
 Flocci-habitis, stolidè & protervè
 Cum reprobo, Bella-arma-minanteq;
 Defensitare audent duce protinus.
 Pulchrū latet sed, mi MAGISTER M. Georgius Cnittelius Velburgo-Pal.
 Optime, nominis orden in te!
 S. S. Twest. Stud.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its light color and the texture of the paper.



99 A 6935

ULB Halle

005 360 463

3



TA → OC





GEHART VORLÄNDE
SCHLEIER VALLENS





PARTITIONVM
Theologicarum

DISPUTATIO XXXIII.

De

BONIS OPE-
RIBVS.

*In includat & Florentissimâ Academiâ Wit-
tebergensi proposita*
PRÆSIDE

M. IACOBO MARTINI
Professore publico:

Respondente

M. JOHANNE AGRICOLA
Neuburgensi Palatino.

Horis locoque consuetis.

Sumptibus Clementis Bergeri
Bibliopolæ Wittebergensis.

ANNO 1611.

